DE

TYPHLITIDE ACUTA ET CHRONICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS STUTE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. PHILIPPS, med. et chir. Dr., med. pract.
G. SCHULTZ, med. et chir. Cand.
ARM. AB WUESTENHOFF, cand. juris.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

MATRI

OPTIMAE DILECTISSIMAE

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam inflammationem coeci et processus vermicularis in antiquorum autorum operibus aut plane omissam, aut cum totius tubi intestinalis morbis semper conjunctam invenimus: nihilo tamen minus eam jam isto tempore fuisse pro certo habeamus oportet. Quum enim historia et antiquorum populorum et aevi medii multa nobis offerat exempla hominum luxuriosorum, qui vires digestionis ad plus nutrimenti atque difficilius, quam concoquere possent, sollicitarint: nihil defuit, quin his rebus praecipue nocentibus, ut nostris temporibus, illae tractus intestinalis phlogosis species provocarentur. Pet. Frank in opere suo de curandis hominum morbis primus illarum mentionem facit, sed quum paucis verbis rem tractat, tum symptomata, quae in exemplis recentiori aetate observatis vix recognoscenda sunt, nobis pronuntiat. Adeo John Abercrombie (1),

(1) Ueber die Krankheiten des Darmkanals. Aus dem Englischen von H. Wolff. Bonn 1822 pag. 139.

qui historiam satis gravem ulcerationum coecum puellae cujusdam tredecim annos natae destruentium prodidit, hunc morbi locum ob aliarum observationum inopiam fortuitum, ut videtur, putavit. Etsi jam priori tempore vitia coeci et processus vermicularis organica satis perspecta fuerunt, quum jam Meckel, Delius, Fürstenau illum processum deficientem, Fleischmann duplicatum cernerent: tamen inter primos, qui inflammatorium hujus organi statum palam fecerunt, Dr. Louyer-Villermay (1) referendus est. Quem postquam academiae medicae Parisiensi dissertationem, qua acutam e tenebris et silentio protulit formam, tradidit, mox Mélier (2), Soemmering, Amyand (3), Bodey, Corbin (4), Jadelot, Unger (5), multique alii secuti sunt, qui studia operamque in disquirenda morbi forma chronica praecipue locarunt.

Perinde ac ventriculus, duodenum, ileum, colon et rectum separatim inflammantur, unde nomina gastritis, dodecadactylitis, ileitis, colitis et proctitis in nosologiae compendiis inveniuntur, coeco quoque diathesis phlogosis idiopathicae asserenda est. Cujus et processus vermicularis inflammationi, si aliae tubi intestini partes vel integrae sunt

---

(1) Archives générales de médicine. Tom. V. p. 246.
(2) Journal général de médicine Septbr. 1827. p. 317.
(3) Encycl. method. Tom II. p. 286.
(4) Sur les perforations des intestinaux. Arch. gén. 1831.
(5) Commentatio medico-practica de morbis intestini coeci. Lipsiae 1828. p. 30.

vel per consensum excitantur, autores nomen »typhlitis« (ex verbo graeco τὸ τυφλὸν, i. e. intestinum coecum) tribuerunt. Nos hujus morbi decursum considerantes duas inflammationis species probare cogimur. Dum typhlitis acuta, plerumque causis subito et vehementer in coecum inpulsum facientibus evocata, maxime gradum corripit, in enteritidis acutae modum: chronica, quae rebus sensim irritantibus gignitur atque alitur, per longum tempus durare potest. Quum in hac faeces in coeco justo diutius perseverantes plerumque irritamentum faciant, nomine »typhlitis stercoracea« affecta est. Si quis speciem quamque secundum morbi sedem iterum in coeci inflammationem acutam et chronicam ejusque processus dividere vellet: non modo ob permagnam symptómatum similitudinem vix fieri posset, sed etiam, si fieret, haec diagnosis ludicra morbo curando parvam afferrent utilitatem, Quibus rebus permoti a conamine dividendi, et viribus nostris non consentaneo et fere frustraneo, libenter abstinuimus, in re nobis ad tractandum proposita ex observationibus eorum, quos supra commemoravimus, nonnullisque aliorum operibus, symptomatibus comprehensis similibus morbi imaginem conformare studentes.

DE TYPHLITIDE ACUTA.

Quum inflammatio acuta plerumque ex illo coeci loco, quo processus vermiformis inseritur, proficiscens superficiem afficiat serosam, symptomata, quae peritoni-

tidem sequuntur, hoc quoque in morbo apparent. Aegroti subito plerumque post violentum impetum in coecum factum dolore ardente, vehementi, qui manu premente summum ad gradum augetur, in regione iliaca tentantur. Sed dolor, qui finibus hujus regionis minime continetur, scapulam percutit et ad lateris dextri crus descendit. Ut situs corporis extensus evitetur, aegrotus genibus attractis declinata corporis parte superiori, abdominis musculos relaxare studet. Brevi tempore praeterito vomituritiones et vomitus oriuntur, quibus primum ventriculi contenta, tum substantiae aeruginosae, herbaceae evacuantur. Reactio febrilis statim adest. Pulsus initio frequens, tensus, plenus, mox in filiformem et celerem collabitur. Unger (1), qui pulsus frequentiam normalem, immo tardam profitetur, contra plerosque autores repugnat. Sitis urit fauces. Lingua muco albido obducta et adhuc humida est. Alvus peccat aut per sedum excessum aut per defectum. Dolores et anxietas in horas accrescunt. Permagna virium defectio intrat. Facies pallida, vultus anxius, de salute desperans. Meteorismo accedente abdomen plus minusve extenditur. Convulsionibus corripiuntur. Rebus sic se habentibus pulsus innumerabilis, irregularis, interponens digito vix sentitur. Tum dolores remittunt, cutis frigida, sudoribus viscidis obtecta, labia pallida, lingua arida, facies hippocratica et mors subit.

---

(1) vide l. c.

Fere omnibus in hujus morbi historiis, quae memoriae proditae sunt, inflammationis exitus fuit lethalis. Unus Unger de femina viginti octo annos nata narrat, quae postquam partum edidit difficilem, atque parvo temporis spatio intermisso refrigerio se exposuit, vehementem, qui in regione iliaca saeviit, dolorem accusavit. Quum primum advocatus est, apparatu antiphlogistico adhibito dolorem domuit, quae curandi methodus iterum reversum plane fugavit.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Rebus male peractis sectio docuit facta haecce: Aperto abdomine fluidum serosum in saccum peritonaealem exsudatum, quo processus vermiformis stipatus est, odorem exhalavit foetidum. Processus ipse tertia parte productus, sine ulla contentione a coeco solutus, colorem praebuit fuscum, subnigrum, et omnia vestigia inflammationis, cui gangraena finem imposuit. Maculae gangraenosae et in ejus mesenteriolo et in mecocoeco inveniebantur. Ille locus, quo processus inseritur, inflammationis focus radios ad colon ascendens emiserat, ubi paullatim debiliores evanescebant.

DE TYPHLITIDE CHRONICA.

Ut omnium corporis organorum irritationes morbique chronici notis propriis multo mitiores, quam acuti se manifestant: ita maxime typhlitis chronica insidiose progreditur. Aegroti, si eos hoc nomine initio, quo va-

letudo minime turbatur, afficere licet, interdum ex intestinis laborant, ad alvi constipationem fere semper sunt proclives. Postquam cibum perceperunt — ac largiter quidem se invitare — solent de dolore, qui regionem intra umbilicum sitam quasi extendens, ad os ilium dextrum vagatur, queruntur. Quam ciborum desiderium non abolitum est, tam status gastrici signa desunt. Lingua rubra est et humida. Latus dextrum sinistro ad dormiendum anteponunt, et genua trunco admovere solent. In abdomine manus pressione disquirendo regionem iliacam vel mollem reperimus vel coecum faecibus refertum, late extensum sentiunt. Tacti levius aegroti doloribus carent, compressionem fortiorem graviter ferunt.

MORBI DECURSUS.

Quum quae commemoravimus signa, nonnullis tantum exceptis, omnibus fere tubi intestinalis chronicis statibus morbosis communia diagnosi magna afferant impedimenta, maxima diligentia et ingenii acumine, ut res vera exploretur, opus esse clarum pellucidumque videatur. At vero, si medico contigit, ut rebus irritantibus optimo modo remotis, ne iterum accumularentur, prohiberet, morbum saepenumero ad sanitatem perducet. Quum autem morbus aut negligatur, aut parum intelligatur, membrana mucosa irritatione chronica destructa sedem offert ulcerationibus malignis, quarum suppurationes ad tunicam tractus intestinalis muscularem paulla-

tim propagantur. Verum etiam hoc in morbi stadio fieri potest, ut ulceribus medearis. Nam, ut anatomia pathologica (1) nos docet, coecum capsulae crassis parietibus, colore cineraceo praeditae simile, interdum ad ovi columbini seu nucis juglandis magnitudinem redactum est. Locus membranae mucosae deletae tela reticulari, quae texturam seroso-fibrosam offert et marginibus membranae mucosae polyposis, sinuosis circumdatur, in integrum fere restituitur.

Sed ulcus, nisi ad sanitatem reducitur, tubi intestinalis parietem perforat. Tum perforatione in pariete dorsali facta inflammationem telae cellulosae amplificatam suppuratio mox sequitur; sin latus percussum est ventrale, massae stercoraceae in saccum peritonaealem effluentes peritonitidem excitant acutissimam. Quo facto aegroti diem supremum brevi tempore obeunt. Quamquam eventus moestus plurimis in casibus vitam mox finit: tamen naturam ipsam nonnullis hominibus opem ferre palliativam minime negari potest. Jam inter decursum processus ulcerativi circumscriptae peritonaei vicini inflammationes suscitantur, quarum exsudata plastica coagula fibrinosa et inter peritonaei ventralem parietem et intestinalem adhaesiones conformant. Uti pulmonis parenchymatis prope pleuram siti inflammatio seu tubercula ibi colliquescentia pleurae ipsi phlogosin inducunt, et membrana

(1) Rokitansky, Handbuch der speciellen pathologischen Anatomie. T. III. p. 286.

serosa costalis cum pulmonali pseudomembrana fibrinosa arctissime conjungitur: uti pericardium ex pericarditide cum cordis superficie tam adstricte coalescit, ut pericardium priori tempore affuisse nonnulli negaverint: sic in peritonitide locali natura ad conservandam vitam similem inire viam, et materiem faecalem e foramine perforationis formato effluentem innocuam reddere potest. Quum in Julii hospitio Herbipolitano talem morbi decursum per totius fere anni spatium observandi mihi facultas data sit, casum istum notatu dignum in lucem proferre mihi concedatur.

N. N. agricola, sexaginta tres annos natus, robusta corporis constitutione, tempore, antequam in hunc morbum conjectus est, nisi alvo tarda nonnumquam vexaretur, in valetudinem nondum incidit adversam. Sex septimanis, priusquam hospitio adductus est, alvi vehemens profluvium cum tenesmo conjunctum, quo faeces cruentae saepe evacuatae sunt, accusavit. Post paucos dies pedes intumuerunt et abdomen paullatim magis magisque hydropis ascitae symptomata obtulit. Eodem tempore inferiores paresi corripiuntur extremitates, quibus quidem facultas se movendi integra sensim sensimque restituta est. Disquisitio status praesentis manualis durum abdomen et extensum quidem, sed fluido in saccum peritonaei exsudato vacuum probat. Attamen in regione iliaca dextra a loco coeci paullulum aberrantem tumorem circumscriptum, inaequalem, e profunda abdominis parte se efferentem, qui manus pres-

sione magnum et acerbum commovet dolorem, bene distinguimus, et notamus. Appetentia ciborum normalis, alvus saepe per tres vel quatuor dies est constipata. Febris omnino deest. Ut morbus localis per longum tempus duravit, ita paullatim et vix manifesto assimilatio deminuta est. Multo antea, ut anamnesis nos docuit, aegrotus quotidie magnam potus spirituosi copiam capere solitus est. Ill. de Markus, qui de hac re ad diagnosin constituendam difficillima multa fecit verba, illum regionis iliacae dextrae tumorem neoplasmate seu fungoso seu fibrinoso, quod ex intestini membrana serosa originem ducat, conformari, morbi autem incipientis profusionem alvi cruentam irritatione sympathica suscitatam esse arbitratus est. Ex medici praescripto unguentum Jodi (Kali hydroj. Drachm. β, axungiae porci Unz. I. m. f. ungt.) tempore matutino et vespertino nucis juglandis magnitudine in abdominis tumorem infricatum est. Sed, quum aegrotus remedium aegre ferret, mox ab eo abstinuerunt, et diaeta blanda, bene nutriente vires labefactatas reficiendi consilium ceperunt, quod successit. Postquam morbus per sex menses eodem fere statu perseveravit, symptomata hydropica, quae anasarca praecipue excellebant, reverterunt. Medicamentis diureticis statim adhibitis anasarca quidem removebatur, sed in hydrothoracem, quem catarrhus vehemens comitabatur, orientem nullam habebant vim. Repente aeger algore concussivo violento, qui materiem puriformem circulationis organis seu resorptam, seu eorum in-

flammatione paratam nobis pronuntiavit, correptus est, cui nonnullis magnis calomelanos dosibus (Scrupul. β. pro dosi) repugnaverunt. Impetus quidem non rediit, verum jam duobus diebus post vomitus apparuit, qui materiem floccis similem, fuscam, subnigram ejecit; facies decomposita, extremitates frigidae, sudores viscidi, singultus facilis mortem prospicere permiserunt propinquam. Qua mox post valetudinem per novem menses aegram oppressus est.

Nunc de iis, quae sectio docuit, dicamus. Cavo thoracis aperto in dextra ejus parte empyema fluidi serosi cruore tincti, mensurae dimidiae invenimus. Pleurae quidem pulmonalis exsudato plastico molli obtecta superficies ex serositate, quam proxime commemoravi, circumdante colorem sibi assumserat rubrum. Pulmonis dextri compressi lobi inferiores carnificati erant, lobus autem supremus inter cultrum dissecantem crepitum edebat, et cum pùlmone sinistro ceterum sano contento spumoso, sanguinolento erat infiltratus. Pericardium quoque exsudatum aquosum, cruentum continebat. In seroso cordis tegimine complures, ut dicuntur, maculas tendinosas variae magnitudinis vidimus. Ventriculus cordis uterque statum hypertrophiae simplicis obtulit. Haec in thoracis cavo degenerata. Tum abdomen insectum est, ubi perienteritide antecedente omentum majus ad peritonaeum adhaerebat et intestini tenuis flexurae inter se coalùerant. Hepar et lien fuerunt sana, ductus autem choledochus calculum biliarium tres

lineas longum, duas circiter latum, unam crassum comprehendit. Ab ineunte pelvi minori ad acre usque hepatis latus caverna sacciformis, quae contentum sordidum fuscum, odorem exhalans faeculentum complexa est, nobis in conspectum venit. Quo ex cavo, quod a ventris pariete peritonaeo ejus degenerato, a tergo omento majore finitum est, duo foramina ponte carnoso valde tenui sejuncta in intestinum coecum duxerunt. Et coeci et cavitatis superficies fuit subnigra, gangraenosa, foetida. Appendices villosae dissolutae coeci membranae mucosae, plastici autem exsudati cavi aqua infusa natabant. Saccus peritonaealis fluidum turbidum, fuscum mensurae dimidiae continuit. Ventriculi et intestini tenuis mucosa fuit integra.

Quod ex hac sectione, quam summa fecimus diligentia, efficitur, id omnia, quae per morbi decursum apparuerunt, phaenomena satis declarare mihi videtur. Primum alvus ductu choledocho calculo biliario clauso constipata, faeces in coeco accumulatae, membrana mucosa semper irritata, tum inflammata, exulcerata et diarrhoeae cruentae efficiens. Quum primum ulcus coeci superficiei peritonaeali prope accessit, peritonaeum chronice inflammatum exsudato seroso hydropis ascitae signa commovit, tum locum, ex quo exiit, cum peritonaeo ventrali membrana fibrinosa conjunxit. Post coeci perforationem materiem faeculentam, magna copia in saccum formatum effusam, nervos crurales comprimentem paresin fortasse effecisse puto.

Dupuytren hominem, qui ex pulmonibus laboraret, tumorem magnum in dextro abdominis latere situm habuisse narrat. Alvus fuit vehementer adstricta. Quum fluctuatione impetrata tumorem pandisset, pus copiosus se effudit. Fistula, quae remansit, semper fluidum idem, numquam materiem faecalem evacuavit. Postquam aegrotus peritonitidi acutae succubuit, sectio abscessum inter musculos abdominales et peritonaeum, quocum coecum erat conjunctum, verum docuit. Quo in abscessu processus vermicularis in latere perforatus se aperuit. Quis est, qui permagnam hujus historiae cum nostra similitudinem neget? Tota foret, ut processus vermicularis hoc in casu causa ignota exulceratus, ceteroquin sanus, faecibus in eum ingredi studentibus ita fortiter repugnasset, ut foramen ulceratione factum penetrare non possent.

Ex his elucet, perforationem minime omnibus in casibus tristem afferre exitum; sed saepenumero peritonitide locali antecedente processus destruentes, imminentes seu jam ortas effusiones, quae peritonaei integritati sunt inimicae, natura finire studet (1). Si vero causae irritantes perdurant, tandem aut phthisis peritonaealis cum destructionibus consequentibus, aut adhaesionibus inflammationis focum definientibus solutis peritonitis totalis exstat.

---

(1) Rokitansky l. c. p. 172.

AETIOLOGIA.

Eadem irritamenta causaeque, quae leniter ac pertinaciter in coecum ejusque processum agentes typhlitidem chronicam gignunt, repentinum et vehementem impetum facientes acutam morbi speciem commovent.

Compressiones, contusiones, ictus, sicut omnia, quae violentam nocendi vim habent, in regione iliaca dextra applicata inflammationem provocare possunt acutam. Si processus vermiformis sive cum seu sine coeco hernia crurali inguinalive tenetur, tum ex incarceratione processus phlogisticus originem ducere potest. Quamquam plerumque aliae intestini partes, quae una cum coeco sunt prolapsae, sunt inflammatae. Rokitansky in numerum causarum rheumatismum quoque referendum putat, sed in omnibus iis, quos equidem animo percucurri casibus, autores illius rationem non habuerunt. At drastica et praecipue aloëtica, quae constat specifice in imi ventris organa agere, abusu deglutita crassa intestina vehementer irritant.

Typhlitis chronica inter omnes facillime corripit, quia diaeta lauta utuntur et vitam degunt otiosam. Quare praecipue in hominibus medium circiter vitae spatium assecutis reperitur. Quum nutrimenta tam praeter modum capta quam excitantia, imprimis spirituosa tubi intestinalis motum peristalticum fortiter stimulent, per valvulam Bauhini semper recens materies in intestinum coecum jam satis superque plenum ingeritur. Si homines

cibo se complere solent, itaque colon identidem infarciunt, coeci parietes, praecipue apparatus valvulae in perpetuae irritationis statum incidat necesse est (1). Contra has res ingestas illae positae sunt, quae aut concoctioni omnino se opponunt, aut, ut perficiatur, minus magnam ventriculi et intestini vim ad contentionem postulant. Quae res aut sponte ut apud maniacos (2), aut fortuito deglutiuntur. Sunt, qui in intestinorum diverticulis et imprimis in processu vermiculari eorum, qui multis grandinibus (Hagelkörner) ictis feris fructi sint, earum magnam multitudinem se deprehendisse affirment, quae quidem, vita durante, ne minimam quidem molestiam adtulerint (3). Vandermonde in processu vermiformi dilatato tres magnas (4) invenit glandes (Flintenkugeln). Complures autores ossium cerasi, acuum, faecum etc. mentionem faciunt, quorum magna copia illo processu se collegerat. Corpuscula, quae in eum perveniunt, incrustationi subjici possunt; adeo sine irritatione ex muco ibi secreto calculi conformari posse videntur, qui tum, ut apud equos saepe conspicimus, in concretiones majores, lapi-

(1) Naumann, Handbuch der medicinischen Clinik, Bd. IV. Abth. 2.

(2) Maniacus ferramenta, araneas, lacertos, bufones eadem temeritate masticabat et devorabat. Tandem febre continua cum diarrhoea torminosa correptus obiit. Reperiuntur duo cultri frusta alterum in coeco, alterum in recto prope anim. Coecum pure scatebat. Lieutaud Hist. anat. med. I. 328.

(3) Hévin, Mémoire de l'académie de chirurgie. Tom. I. p. 377.

(4) Vandermonde, Journ. de Médecine. Tom. XX. p. 441.

des tractus intestinalis, conjungi possunt. Wegeler in processu vermiformi hominis, qui ex typhlitide mortuus est, complures reperit calculos, quorum maximus, ovi columbini volumen tenens, grana duodeviginti pondo valuit. Etsi iis primo obtutu magna cum calcis fragmentis fuit similitudo, tamen odor, quem edebant, originem prodidit. Secundum Robiqueti disquisitionem chemicam centum partes ex cerae pinguis sexaginta partibus, calcariae phosphoricae triginta, materiei organicae ignotae octo et jacturae duabus constiterunt. Verum etiam vermes, ut Soemmering et Jadelot nos docuerunt, et conglomerati processus mucosam tantopere irritare possunt, ut perniciosa ista inflammatio oriatur.

Omnia, quae ad nocendum apta supra memoravi, tum potissimum agunt, quando hominibus aetate provectioribus tam opera est sedentaria, natura phlegmatica, quam excretio alvina et ordine et numeri naturaeque ratione semper perturbata, atque sanguinis fluxus per abdominis venas retardatus.

Dysenteria, dothienenteritis, tuberculosis, quod inflammationem mucosae intestini localem gignunt, partes affectas ulceribus destruunt, postremo parietes perforare possunt; at ille subinflammatorius mucosae status minime ut multi recentiorum autorum judicant sola et primitiva est morborum causa, sed illorum morborum symptoma habendus et ex iis, ut cutis inflammatio exanthematum, genitus est. Ex typhlitide autem chronica ipsa mihi sequi videtur, magnam et rapidam in illis febribus vi-

rium prostrationem et alia characteris typhosi signa neutiquam ex inflammatorio intestini statu tantum evadere, quippe quum in nostro morbo haec symptomata plane desint.

Illa quoque mala, quae vel morbosa sunt conflata textura, ut coeci angustatio, constrictura, obliteratio, vel secum ducunt pseudorganisationem, ut lupiae in coeco formatae, induratio, scirrhus, carcinoma, osteoides etc., inflammatio sequitur symptomatica, cui cum morbo nostro nil est commune.

DIAGNOSIS.

Ex symptomatum indiciis sollerter investigatis seduloque perpensis et comparatis medico saepenumero contingit, ut phlogosis sedem naturamque exploret. Quanti sit momenti vera morbi signorum declaratio et symptomatum aliorum distinctio, inde maxime elucet, quod ratio curandi in diagnosi bene constituta unum ponit fundamentum. Omnia, quae adstringunt, ut exemplum afferam, vel roborant, atonia praesumpta a medico, et plurima antispasmodicorum perniciosa et nociva sunt, ideoque ad exitum ducunt funestum. Ut diagnosis certa fiat, nulla quidem signo singulo plena dignitas et fides tribuenda est, sed omnia symptomata conjunctim respici, curiose examinari diligenterque inter se conferri solent. Abdomen manu quam diligentissime explorandi conditio est prima, ex qua penitior mali congnitio evadit. Quando ad dignoscendam speciem acutam, quae facile intelli-

genda est, digiti regionem iliacam tangunt, de vehementi ibi dolore, qui etiam regione a manu perquirente liberata perpetuo saevit, aegroti queruntur. In peritonitide totali, quacum reliqua morbi signa plane fere consentiunt, quamvis ex regione inguinali dextra exire possit et saepe exeat, tamen dolor ardens non ita unam abdominis partem parvam tenet, ut non radios emittens se super hucusque liberam abdominis partem extendat. A peritonalgia rheumatica et spasmis tractus intestinalis dolorosis eo discernitur phlogosis, quod aegroti tam intervallis fruuntur doloribus liberis, quam compressio non modo dolorem non excitat, sed etiam plerumque mitigat.

Multo difficilius typhlitis chronica, quae ingressu suo leviter tantummodo incommodat, hac itaque periodo aegros parum sollicitat, a medicis cognoscitur. Raro accidit, ut prima scrutatione medico malum illud occultum e tenebris producatur. Plerumque aegrotum per longius tempus observari et temporis spatiis diversis interjectis explorari opus est. Quodsi fortior manus impressio et contrectatio aegroto sensum ingratum semper excitat, ac medicus coecum contentis dilatatum sentit, et cetera morbi indicia consentiunt: tum de morbi natura non dubitandum. Maxima dignitate in malo vere perspiciendo est anamnesis. Nam et constitutione aegroti et aetate et vivendi ratione et animi temperie et morbi tam decursu quam causis multisque aliis indiciis lux magna emanat. Clara autem et pellucida morbi exeuntis, quum peritonitidis acutae symptomata subito appareant, diagno-

sis evadit. In feminis fieri potest, ut oophoritis signa proferat simillima. Verum illae membranae mucosae tubi intestinalis laesiones ejusque functionis perturbationes prohibent, quominus medicus fallatur. Attamen nihilo minus signis quamvis exacte conceptis saepe accidit, ut inflammatio ante mortem non dignoscatur.

PROGNOSIS.

Inter omnes tractus intestinalis partium singularum inflammationes typhlitis acuta maximum inferre solet periculum. Augurium ex causis occasionalibus potissimum pendet. Si res coeco seu ejus appendici nocentes minime e medio tolli possunt, quod, quum in processu vermiformi motus peristalticus fortis aliena removens non exspectandus fit, saepe fieri nequit et semper inflammationem paene exstinctam suscitant, velut acus deglutitae, calculi ibi conformati, vermes multaque alia, exitus plerumque est infaustus. Nisi auxilium fortissimum citissimumque fertur, gangraena phlogosibus, quae herniis incarceratis, metastasibus, traumaticis coeci laesionibus genitae sunt, finem imponit. Quamquam typhlitis acuta numquam parvi momenti morbus est, tamen in hominibus irritabilibus, debilibus, cachexia laborantibus, in gravidis et puerperis, in infantibus, quod difficultatem morbum dignoscendi augent, multo pejor existit prognosis. In numerum signorum periculosissimorum haecce referenda sunt. Dolorum cruciatus vehementer adauctus, cujus centrum in coeco situm, super abdomen totum ra-

dians, ne levissimum quidem tactum tolerat, extremitates frigidae, obstipatio alvi pertinax, vomitus bilem viridem evacuantes, singultus perpetuus, ischuria, respiratio difficilis, convulsiones, lipothymiae. Intestinorum tono plane ablato meteorismus offert indicium malum. Quum dolores, facie decomposita, debilitate permagna, cute frigida, pulsu frequentissimo, parvo, omnino remittentes virium collapsum ostenderunt, tum inflammationis in gangraenam transitus perfectus et mors propinqua est.

Typhlitis chronica, ubi morbo ingrediente medicus arcessitur, vere dignoscitur, aegrotus praescriptis medicis obedit, cura apta sanescere potest. Plerique homines, quum doloribus molestiisque aliis parum vexentur, tolerandas perturbationes alvinas jucunditatibus vitae abdicandis anteponunt; aut negotiis, quibus res ad vivendum necessarias sibi comparare solent, coacti, ut sutores, sartores aliique, a rebus nocivis semper in se agentibus se abstinere non possunt. Quae res exitum lethalem parantes prognosin reddunt malam. Cave quidem, ne mucosae irritationem saepe persistere, inflammationem autem facile recidivam fieri obliviscaris. Similes destructiones, quae in ventriculo obveniunt, imprimis ad ejus pylorum, artis nostrae quidem plura experimenta admittunt, his autem non superatae mox lethales fiunt, dum omnem subruunt nutritionem; minus haec labefactatur a destructionibus in nostra tubi intestinalis parte. Ejus itaque textura morbose alienata vita quidem diu conservari, in integrum autem multo difficilius restitui

potest. Saepe aegroti desiderium naturae viribus valetudinis dubiae in pristinum mox restituendae statum laetiorem non expletur, et medicus, qui festinanter judicat morbumque illico medicamentis se sublaturum sperat, fallitur. Quamvis igitur ulceribus mucosam destruentibus et perforationem comminitantibus prognosis dubia fiat: tamen spem morbi subigendi minime plane delet; imo aegrotos, qui ad altum marasmi gradum pervenerunt, paullatim convalescere videmus, nisi peritonitis perforatione provocata, seu phthisis intestinalis augurium suppeditant pessimum.

CURA.

Antequam de morbi indicatione verba facimus, de indicatione causali nobis dicendum est. Nam saepenumero laxantibus oleosis corpora illo loco haerentia seu faeces ibi accumulatas removere contigit, qua ratione curae morbi optime consulitur. Coecum et processus vermiformis, quum hernia incarcerata extra abdominis cavum retinentur, operationibus chirurgicis in statum pristinum redigantur oportet. In iis quoque casibus, in quibus corpora aspera seu faeces seu vermes in processum intrant, fortasse chirurgia in posterum auxilium afferre possit. Profecto, inquit autor quidam (1), si fieri posset, ut tuto ac subtiliter morbum dignosceremus, si

(1) Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte, XI. Bd, 1. St. p. 33.

ille constanter decurreret, spero fore, ut aegroti operatione chirurgica fortasse a morte serventur. Operae pretium foret, ut id, quod diximus, acquireremus, experimenta, quae de bestiarum processu vermiculari facta sunt, iterum instituere et augere. Etiamsi semper operatio erit periculosissima, tamen hoc loco Celsi (1) latissime patent verba: »Verum hic quoque nihil interest, an satis tutum praesidium sit, quod unicum est.«

Quodsi aut illa indicatio non explenda est aut expleta inflammationem minime domuit, totus apparatus antiphlogisticus, ut in peritonitide totali adhibetur, primum locum tenet. Neque pulsus parvus, spasticus, nec spuria aegroti debilitas medicum impediant, quominus largam venaesectionem faciat. Plerumque pulsus, dum sanguis fluit, explicatur, plenior molliorque fit. Saepe crusta inflammatoria in sanguine effuso aut omnino non apparet, aut secundae demum venaesectionis sanguinem obducit. Praeter venaesectionem, quae morbo crescente statim repetenda atque ad lipothymiam paene perficienda est, hirudines, quas plurimi autores curcurbitulis cruentis hac in corporis parte anteponunt, magna sunt utilitate. Quamquam Lesser hirudinibus ad anum applicatis maximam tribuit efficientiam: tamen plurimi Broussais sequuntur, qui proxime loco morbo correpto eas imponi jubet. Ad regionem iliacam dextram quindecim ad viginti applices, ex quarum vulneribus sanguinem ab-

(1) De medicina. Lib. VII. cap. 33.

unde se effundere concedas. Tum cataplasmata emollientia, sive si eorum gravitatem aegroti aegre ferunt, fomentationes ex herbis, radicibusque mucilaginosis, amylaceis decoctis paratas, quibus remediorum narcoticorum, uti cicutae, hyoscyami, belladonnae herbae partem tribuas, lege artis adhibeas. Verum fomentationes, quae, ut idem calor perduret, saepissime commutandae sunt, refrigerandi periculo aegrotos facile exponunt. Inflammatione florente ungt. hydrarg. cinerei, ungt. althaeae cum ol. hyosc. coct. infrictioni ob permagnos levissimo tactu provocatos dolores aegroti se non subjiciunt.

Multi balneas calidas laudant. Puchelt (1), qui telae cellulosae inter coecum et musculos sitae inflammationi nomen dedit perityphlitidis, balneis calidis hirudinibusque satis mature applicatis morbum plerumque ad faustum perduxit eventum. Gelidae autem, quas Smith commendavit, fomentationes in tractanda typhlitide adhuc propter observationum inopiam rejiciendae sunt, praecipue ea de causa, quod status membranarum serosarum phlogistici ad frigus adhibendum omnino non idonei.

Ex medicaminum caterva, quae apparatus antiphlogisticus continet, circumspectius nobis nostro in morbo eligendum est, quum materies medicatrix per tractum perducta ad locum inflammatum ipsum vim habere possit. Mucilaginosa tantum et oleosa forma emulsionis

---

(1) Heidelberger Jahrb. Band VIII. Heft XX.

conjuncta et tractus irritabilitatem mitigant et substantias laedentes involvunt. Alvus, si per longius retinetur, vel oleo Ricini vel clysmatibus emollientibus immissis moveatur. Opium, quod a Vogel, Richter, Naumann multisque aliis merito celebratur, non modo omnes affectiones spasticas tollit, aegrotorum irritabilitatem sensibilitatemque nimiam mitigat; sed etiam tum saepe stomachus patitur, quum nutrimenta perfacile subigenda, postquam deglutita sunt, statim vomitu ejiciuntur. L'Herminier contra hunc vomitum potionem nivatam valde laudat.

Quibus rebus considerate adhibitis, ad hominis constitutionem accommodatis, interdum accidit, ut status inflammatorius plane refugiat, sed irritatio chronica, cujus cura cum infra descripta consentit, saepe remanet.

Sub gangraenae indiciis a quaque morbum curandi ratione abstinendum est.

Tum de typhlitidis chronicae medela dicamus. In hoc morbo sanando ad causas quoque, quibus commovetur, maxime respiciendum est. Si vermes coecum irritare solent, tum in antihelminthicis salus. Ut corpus autem et dyscrasia, seu haemorrhoidali seu arthritica, et animi temperie et aetate provecta et vivendi ratione aliisque praedispositum in statum integrum restituatur, aegroto voluptates et vinum et lautae epulae recusandae. Illis antem conditionibus perdurantibus semper fere impeditur, quominus malum istud insidiosum fugemus. Ut accumulatio faecum evitetur, excretiones alvinae ad na-

turae praecepta revocandae sunt. Cui malo ea medicinae pars, quae victu curat morbos, imprimis repugnat.

Ut valetudo conservetur, indicatio prophylactica cum hac curae parte omnino fere congruit. Aegrotus, qui abdomen pedesque eodem modo calefacit, per diem noctemque aequalem conclavi temperiem servat, domicilio utitur sicco, sano. Omnibus, quae abdomen comprimere possunt, evitatis corpus coeli salubritati atque temperationi expositum modice exerceatur. Nutrimentum gelatinosum, concoctu facile, pauca excrementa relinquens, maxima cum continentia percipiatur. Carnes almae aromaticaeque sicut potiores spirituosae plane rejectae, cum cibis e lacte seu farina paratis mutandae sunt. Balneae quoque tepidae, quas frictiones sequuntur, minime sunt negligendae. Quamvis remedia nutrimentaque roborantia, tonica, adstringentia plerumque seponenda sint, tamen, ut P. Frank dicit, interdum fontes minerales ferrum continentes, infusum corticis Chinae frigide paratum omniaque illa, quae auctam tubi intestinalis sensibilitatem sine vehementi irritatione ad functionem normalem reducere possunt, magnum afferunt commodum.

Multa sunt contra alvum pertinaciter constipatam faecesque in coeco sese accumulantes remedia commendata. Krukenberg sufficientem aquae recentis copiam matutino post somnum tempore aegrotum bibere, atque eodem tempore fumum herbae nicotianae haurire jubet. Phoebus remedium a Locke, philosopho, et postea a J. F. Osiander laudatum in memoriam revocat. Quo-

tidie eodem tempore alvum exoneratum ire, abdomen, nisi herniae aliaeque causae se opponant, fortiter comprimere praecipue celebrat. Rebus illis frustra adhibitis, tandem ad materiem medicam refugias.

Laxantia ordinis oleosorum seu salium mediorum statui subinflammatorio bene respondent. Temporis spatiis interpositis hydrarg. muriat. mit. dosis purgans praebeatur, seu clysmata applicentur. Rebus rubefacientibus, ut empl. canth. perpet., seu ungt. acribus, velut tart. stib. apto abdominis loco ad cutem derivetur. Si symptomata inflammationis recrudescunt, et hirudines interdum admoveantur et ungt. hydrarg. cin. infricetur. Naumann sedibus cruentis acidum phosphoricum mucilagine involutum, clysmata mucilaginosa, quibus aluminis grana quatuor ad sex addit, et balneas aromaticas saepe repetitas statim opponit.

Peritonitis totalis, quae materie faecali in saccum peritonaei effusa elicitur, omnibus rebus adhibitis resistens mortem rapide accelerat. Quo in malo nuper Stokes Opium magnis dosibus intoxicationem efficientibus porrectum valde laudat. Aegrum quiete cubare, neque quidquam edere nec bibere, quod intestina irritet, jubet. Tum, postquam opio motus peristalticus ita retardatus est, ut intestina perfecta paene fruantur tranquillitate, periculum adhaesionibus inter peritonaeum ventrale et coeci inflammatione factis imminui seu plane de medio tolli arbitratur. Sed et experientia sententiam illam nondum affirmavit, et membranam serosam

ad fibrinam exsudandam non inclinantem motus peristalticus opii narcosi remotus, ut coalescat, incitare mihi non videtur. Sin ad exsudationem plasticam proclivis est, motus peristalticus adhaesiones non diruit, ut anatomia pathologica docet et in pleura inflammata, quae quoque movetur, saepe cernimus.

Si profusio alvi, sedum natura, emaciatio, lenta, quae mox adest, febris ulcerationum genitam phthisin intestinalem pronuntiant: remediis adstringentibus, ut aqua calcis lacte diluta, sero lactis aluminato, plumbo acetico, acido sulphurico multisque aliis colliquationes deminuendae sunt. Sic medicus, quamqnam finem inevitabilem minime removere potest, vitam tamen in tempus nonnullum protrahere studet.

VITA.

Natus sum ego, Eduardus Stute, Iserlohnae, urbe Guestphaliae, die II. mens. Novbr. anni MDCCCXX. patre Arnoldo Friderico, advocato, quem ante quinque annos dira morte mihi abreptum lugeo semperque lugebo, matre Sophia e gente Lent, quam salvam adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis in patria urbe imbutus, archigymnasium Susatense, cui Clar. Patze praeest, per decem fere annos frequentavi. Testimonio maturitatis munitus verno anni MDCCCXL. tempore almam adii Ruperto-Carolinam, ibique a Rectore magnifico Ill. Ullmann in civium academicorum numerum receptus sum.

Hae sunt, quas per semestre ibi frequentavi scholas:

Logicen me docuit Cel. de Reichlin-Meldegg, physicen experimentalem Cel. Jolly, mineralogiam Ill. ab Leonhard, zoologiam Cel. Bronn, botanicen Ill. Bischoff.

Semestri praeterlapso in universitatem litterariam Berolinensem me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Lichtenstein civibus academicis adscriptus, a decano spectatissimo Beat. Osann in album medicum relatus sum. Per annum hisce interfui lectionibus:

Ill. Steffens de psychologia, Ill. Mitscherlich de chemia experimentali, Ill. Jo. Mueller de anatomia generali et speciali et organorum sensuum, de physiologia speciali et generationis, de anatomia comparata, Ill. Schlemm de osteologia, qui una cum Ill. Mueller in arte cadavera rite secandi dux mihi fuit, Ill. Hekker de encyclopaedia et methodologia, de pathologia generali, Cel. Mitscherlich de materia medica.

Deinde duobus semestribus exactis Herbipolin petii, ubi Rector magnificus Ill. Linke facultati medicae me adscripsit.

Hisce ibi praeceptoribus gavisus sum.

Ill. de Markus in pathologia et therapia speciali, in clinico propaedeutico, Ill. Textor in chirurgia generali et speciali, in arte operandi chirurgica, in doctrina et fascias rite applicandi et instrumentorum. Praeterea adii scholas medicas Ill. de Markus, chirurgicas Ill. Textor, obstetricias Ill. d'Outrepont, qui idem in exercitationibus in phantomate instituendis moderator mihi fuit, institutum policlinicum Ill. Rineker.

Per annum ibi commoratus ad universitatem Berolinensem redii, et ab Rectore magnifico Ill. de Raumer in album civium academicorum relatus, apud decanum maxime spectabilem Ill. Jo. Mueller nomen professus sum.

Quas hic frequentavi scholas, hae sunt:

Exp. Schoeller de arte obstetricia, Ill. Casper de medicina forensi, Ill. Jo. Mueller de anatomia pathologica, Ill. Hecker de medicinae historia. Praeterea scholas adii clinicas medicas Cel. Wolff, Cel. Romberg, ophthalmiatrico-chirurgicas Ill. Dieffenbach, syphiliticas Cl. Kluge.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Recte dicit Celsus: pulsus fallacissimum morborum signum.
2. Peculiares oculorum morbos esse nego.
3. Crusta phlogistica non est signum pathognomonicum phlogoseos.
4. Tuberculoseos et Scrophuloseos natura est eadem.
5. In suscipienda operatione obstetricia vita matris pluris aestimanda est, quam infantis.